

Bibliothèque numérique

medic@

Dubois, François-Henri - candidat /
Sauré, André-Louis - président. - De
sectione fraenuli linguae

1755.

*Paris : Typis Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae*

Cote : ms 2342, n°46

DE
SECTIONE
FRÆNULI LINGUÆ.
THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ;

*Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. ANDREA-
LUDOVICO SAURÉ, Artium & Chirurgiæ Magi-
stro, Confiliario Regisque in Castelletto Parisiensi Chirur-
go ordinario, nec non Nosocomiorum & Regis exercitûs
olim Chirurgo, tueri conabitur FRANCISCUS-HENRICUS
DUBOIS, Parisinus, in Almâ Universitate Parisiensi Libe-
ralium Artium Magister.*


PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
*Die Veneris 11â Aprilis, anno salutis 1755. à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO,
ET MAGISTERII LAUREA.



Typis DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg.
Typographi, viâ San-Jacobeâ, sub signo Olivæ.





D. O. M.

THESES ANATOMICÆ

ET

CHIRURGICÆ.



IC à naturâ constitutus est homo, ut vix natus ex mirando partium apparatu functiones sibi necessarias non tantum obire, sed crescendo multiplicem partium usum ad varia vitæ complenda munia obtinere valeat. Legitima ergo corporis humani dispositio in facilitate, oblectamento, constantiâque quâdam ad actiones homini proprias ritè exercendas, reponenda; statusque contrà morbosus habendus est, in quo una aut plures impediuntur vel læduntur functiones. Varia prævæ conformationis vitia, licet à propriis morborum causis minimè pendeant, ad morbos igitur non immeritò referuntur. Exemplo sit justò longius linguæ suppositum Frænulum; illo malè conformato, impeditur aut saltem viriatur loquela, suctio difficilis evadit, aliæque oriuntur accidentia quibus debellandis felicem operam simplici sectione præstat Chirurgia. Jam verò, quoniam in rebus Chirurgicis majoris momenti sunt res simplicissimæ, hujusce morbi naturam, curationem, cautelasque

A

[2]
in curatione necessarias idcirco non proponemus, nisi præmissâ
linguæ structurâ.

§ I.

PARS quædam musculosa, oblonga, in homine latior, medio
fulco obscuro bipartita, in ore sita, Lingua nuncupatur; spatium
interius maxillæ inferioris, dentiumque in eâ infixarum occupat,
& ab ipso figuram ferè suam, longitudinem, latitudinemque
mutuatur.

IN linguâ extremitates, margines, faciesque distinguendæ.
Anteriùs angustior, gracilior & subrotunda constituit quod Api-
cem vocant; oppositâ verò parte latior, crassior & obtusa dat
Basim, quæ posteriùs & inferiùs musculis, cartilaginibus, os-
sibusque variè adhæret, dum pars anterior libera, mobiliorque
ad varios usus versùs oris vicinia circumferri potest. In mediâ
suâ parte lingua crassior quàm ad latera faciem habet superio-
rem, longiorem & leviter convexam, ab omni vinculo liberam,
dum facies inferior, brevior, magis convexa, & profundius ful-
cata, cum partibus suppositis posteriùs coalescens totum quod-
dam commune ferè constituit.

LINGUÆ structuram inquirenti occurrit primò membrana ex-
terior, mollis, pulposa, superiùs paululùm crassior, mucosa,
femi-pellucida, inferiùs tenuior, ubique madida, cuticulæ fa-
ciei orisque continua. Huic, sed in parte superiori tantùm, im-
mediatè substernuntur variæ Papillæ triplicis generis distin-
guendæ. Non item in animalibus; in his enim sub membranâ
exteriori adest substantia mucosa coctione indurefcens, & rete
perforatum efformans, papillis ordinandis, sustinendis firman-
disque idoneum.

Ex papillis quædam obtusæ, latiores, capitatæ, breviori pe-
diculo ut plurimùm incumbunt, foveolâ circumdantur, in me-
dio sæpiùs perforatæ sinum leviozem offerunt; & basi linguæ ita
innascuntur ut, posteriùs quasi divaricatæ, anteriùs postea ten-
dant, & in ipsius medio ad anguli modum quasi disponantur.
Hæ duræ, parùm sensiles, perpetuò madidæ, inter glandulas
simplices, muciferas, uno pluribusve foraminulis pertusas,
quibus tamen supponuntur papillæ quædam nervæ, non imme-
ritò habeantur.

HAS inter in parte mediâ & superiori basis linguæ sæpiùs occur-
rit foramen quoddam, subrotundum, quandoque ferè triangulare;
quod plus minùs-ve penetrans dat ductum cæcum, obscurum, ab

inventoris clarissimi nomine Morgagnianum dictum. Hunc plurimum glandularum excretorium commune indicavit Vaterus (a); ex duobus verò canaliculis præcipuis ad duas cryptas versus latera linguæ posteriora & inferiora fitas tendentibus demonstravit Heisterus (b).

ALTERIUS generis Papillæ ex ovato cylindricæ, paululum tamen depressæ, ipsimet linguæ substantiæ adhærentes, magis sensiles, teneriores, situ & mole inter alteras mediæ, per superficiem superiorem linguæ passim occurrunt, circaque ipsius anteriora, & margines confertiores reperiuntur. Quæ parti linguæ posteriori insident crassiores, & minus sensiles; minores & acutiores quæ ad anteriora linguæ & margines efflorescunt. Tercii ordinis Papillæ minores mole, numero majores, non tantum linguæ apicem occupant, sed etiam inter alias per totam linguam superius & ad latera oriuntur. Hæ conicæ, sensu acutissimo donatæ, organum gustûs præsertim constituunt; in homine fano rigidæ, post mortem aut tactum frequentiore flaccescunt & villosæ videntur.

SUB Papillis reperitur musculosa linguæ caro, in homine difficilè, in animalibus faciliùs extricabilis; fibris musculosis pinguedine intertextis, diversimodè tendentibus conflata. Ex fibris quædam linguæ propriæ, musculi intrinseci aut musculus lingualis dicuntur, duplicique ordine, alio longitudinali dorso linguæ superius subjacenti, alio transverso, inferiori, cum priore intricato disponuntur; aliæ verò communes, à musculis externis oriæ triplicis ordinis annumerantur. Longitudinales illas à basi ad apicem tendentes partim constituere videntur musculi hyoglossi, stylo-glossi & genio-glossi; hæ transversæ musculorum mylo-glossorum propagines creduntur; & aliæ verticales ad musculos genio-glossos etiam referuntur.

VASIS numerosis irroratur lingua: arterias habet præcipuas à carotide externâ, numero duas, per partem ipsius inferiorem ad latera frænuli à basi ad apicemeductas; Raninæ aut sublinguales dicuntur. Hæ non tantum inter se, verum etiam aliis arteriis superioribus numerosis, arteriarum vicinarum propaginibus, inoculantur. Sanguinem ab arteriis reducem præcipuè recipiunt ejusdem nominis venæ; valde plexuosæ, arteriis raninis accumbunt, tenduntque versus venas jugulares externas; item & aliæ venæ vicinarum soboles. Sic arteriæ numerosæ venis quàm plurimis intertextæ rete vasculosum efformant, in quâ-

(a) Dissert. de novo salivali ductu anat. de gustûs & loquelæ organis & ejusd. not. 56.

(b) Consul. Heisteri compend.

cunque parte linguæ exhalans & inhalans; liquida salibus solvendis idonea modò secernens, modò sàpida resorbens. Valdè sensilis lingua nervos habet numerosos; duo majores, quinti paris rami, superius & exterius per linguam serpunt; totum par nonum inferius & interiùs distribuitur. His accedit ex utroque latere octavi paris, seu sympathici medii ramus. Papillas constituunt nervi superiores; ad motus aptiores videntur alii.

VICINIS partibus, præter musculos, ligamentorum ope adhæret lingua; ligamento minori, medio, superiori cum Epiglottide posterius, ad utrumque latus minori etiam cum columnis palati conjungitur; sed tanquam præcipuum meritò numeratur ligamentum inferius, majus, membranâ exteriori duplicatâ constans, modò magis, modò minùs laxum, *linguæ Frænum* dictum.

LINGUAM tanto artificio constitutam quicumque noverit; hanc tot mirandis functionibus idoneam facilè concipiet. Non mirum ergo si variam figuram induere, tot tamque varios motus edere queat; tota ex se musculosa, musculos habet etiam suos exteriores, quibus in variis motibus tanquam auxiliares accedunt os hyoïdes moventes musculi. Contractis fibris longitudinalibus & transversis crassior & brevior fit lingua, arcatur transversis figuramque ferè cylindricam & longiorem mutuatur, stylo-glossis agentibus laxatisque fibris linguæ propriis fit concava, per hio-glossos explanatur, per genio-glossos radiatim ad linguam tendentes modò extra os propellitur, modò retrahitur, modò retracta convexaque facta palatum attingit; sicque musculis quibusdam agentibus hos vel illos motus producit. Hinc ad masticationem non inutilis nunc alimenta ad dentes protrudit, nunc masticata ad fauces propellit; semperque mirè mobilis, sensilis, humida, fit præcipuum tùm gustûs, tùm loquelæ organum.

§ II.

EA est, ut patet ex modò propositis, naturalis linguæ humanæ conformatio, ut partibus vicinis & subjectis variè adhærens, omnes motus necessarios liberè tamen adimplere valeat. Pars linguæ posterior musculis suppositis connexa, ipsis immotis moveri nequit & vice versâ ipsis agentibus varios necessariò edit motus: hos-ce nunc attendere nostri non est propositi. Non item pars ipsius anterior, ab omni vinculo ferè libera, sola per se moveri potest, celeriter versùs oris interiora fertur, magis aut minùs elata præcipuum fit loquelæ instrumentum, elongata concavaque facta cum labiis suctionem operatur; sicque in ipso met infante vix nato, ad alias functiones parùm idoneo, jam

non inutilis ; alia postea , ætate crescente ; obibit munia . Hos motus moderatur ritè conformatum linguæ suppositum Frænulum ; quandoque tamen justò longiùs extensum linguam impedit , retinet , fieri nequeunt suctio , deglutitio , imò loquela , tuncque sic vitiiati , *Frænulo* laborare dicuntur .

QUÆDAM sunt hujus-ce morbi discrimina : vel enim per totam linguam inferiùs prolongatur frænulum , tuncque retento linguæ apice , extremum anterius quasi divisum latiusque apparet ; vel paulò longiùs extensum aut nimis arctum linguam absolutè non impedit , sed ita partibus suppositis alligat , ut omnibus motibus adimplendis impar evadat . In priori casu , qui quidem infantibus tenellis tantùm accidere potest , lingua moveri , ex ore exeri suctioque fieri nequeunt ; in posteriori verò , licet facta fuerit suctio , adultiores linguam minùs facillè movere , verbaque ritè formare non valent . Ad id morbi genus etiam referuntur productiones ligamentosæ aut carnosæ ad latera linguæ contra naturam quandoque innatæ , quæ linguam retinent & ipsius motum impedièntes frænulum mentiuntur .

RARIORES , quàm vulgò putant , illi morbi ; hinc facillè falleretur qui suctionem impeditam , aut in primo natali die minùs facillè frænulo existenti præoccupatus tribueret ; linguæ convulsivæ , ad palatum elevatæ , aut suctioni non assuetæ hoc vitium non immeritò referendum esse observaverunt attenti rerum scrutatores . Cæterùm , absentibus illis causis suctionem sæpè impedièntibus , ex tactu aut visu frænuli existentis habenda diagnosi .

LINGUÆ impeditæ solutio per frænuli sectionem obtinetur ; licetque simplex sufficiat incisio , varia tamen hujus celebrandæ apud authores invaluit methodus . Probè firmato capite lingua elevanda & retinenda ; quod quidem in infantibus difficile . Volsellam huic-ce operi adhibebant veteres ; incertum hoc medium ; hinc linguam extremam , per adhibitum linteolum ne fugiat , digitis apprehendendam , non verò furcinulâ firmandam , meliùs habuerunt authores non ignobilis nominis (a) . Quoniam verò in infantibus anceps & admodum difficilis digitorum ope hæc elevatio , ideò vel Furcinulam , vel Specilli fulcati extremum latius , ad hoc vulgò divisum , anteponenda censemus .

LINGUA quocunque modo elevatâ , frænulum , ipsam inter & ductus salivales inferiores , quantum sufficit ut fiant suctio aut

(a) Vid. Fabricius ab Aquapendente lib. de operationib. chirurg. append. de linguæ Chirurgiis ; item Garengéot , *Traité des instrumens* , tom. I. & Heisteri inst. chirurg. part. 2. sect. 2. cap. 88.

loquela, vel scalpello vel forcipe apicibus obtusis cautè incidendum; sin minùs tunc, vel post aliquod tempus iteranda sectio. Scalpello præsertim utebantur veteres; sed tanquam instrumentum certius *forcipes* in usum vocandi. Si adsint adhæsiões, contra naturam periculosa foret laceratio, sectio eodem modo instituenda. Simplex illa operatio, cautissime tamen celebranda.

Frænulum quoddam ex naturæ legibus linguæ subesse; proximè serpere vasa tùm arteriosa tùm venosa, ductusque salivales inferiùs hñare patte ex inspectione anatomicà: instrumentum ergo ita dirigendum ut fiat sectio inter has-ce partes media & sufficiens; alioquin plurima & quidem lethalia oriuntur accidentia difficiliùs sistenda.

FRÆNULUM longius nocet, suctionem & loquelam impedit; si verò plus æquo aut absque necessitate resecetur, jam linguæ mobiliori factâ ipsa mors pertimescenda, sic ultrà citràque nequit consistere rectum; tunc enim linguæ motus non moderatur, illaque ex naturâ mobilis, facilèque retrò acta versùs fauces impellitur, Epiglottis inversa respirationem tollit, tuncque suffocatus moritur infans. Plurima passim apud authores hujus-ce mali occurrunt exempla; sic suffocationem sibi producere, violentamque mortem inferre dicuntur *Æthiopes*. Frænulum ergo cautè antea perpendendum, quantum sufficit incidendum, revocandumque est rariorem quàm vulgò putant hunc morbum raram etiam operationem postulare.

VASA sanguifera propè frænulum posita quandoque læsa fuisse infelix probavit experientia; tuncque licet minora sint, oritur hæmorrhagia lethalis non facilè compescenda. Cum enim lingua semper mobilis, præsertim in infantibus, in loco calido & humido situm obtineat, cumque suctio ferè continua adsit, tunc fieri non potest sanguinis trumbus, vas apertum non obturatur, adestque sanguinis profusio lethalis. Sic infantulum quemdam propter nimiam sanguinis ex læsis venis raninis profusionem, post operationem brevè expiratum memorat Dionisius (a). Minor licet appareat sanguinis profusio, huic tamen sedulò providendum; sanguis enim quandoque deglutitur, vix fertur versùs exteriora, incautusque falleretur qui leviozem hanc hæmorrhagiam existimaret. Tale prostat exemplum apud clar. Mauriceum nostrum (b); refert ille infantem eodem die mortuum post læsa vasa in sectione Fræni, suffocatumque sanguine versùs ventriculum & pulmones effluente, licet exterius minor apparuerit effusio. Huic hæmorrhagiæ sistendæ rarò sufficiunt stiptica,

(a) Vid. Dionis *Traité des opérations*, ubi de Frænulo secando agit. chemens, cap. de sectione fræni & observ. 301.

(b) Mauriceau *Traité des accou-*

aut spleniolum aceto aut astringente quolibet imbutum; hæc enim sub linguâ, quod quidem difficile, tantisper continenda, donec sanguis conquieverit: hanc ad rem instrumentum peculiare ex Betula factum, in modum litteræ Y conformatum, linteolo liquoribus stipticis imbuto involutum commendat hujus-ce Collegii olim Magist. Clar. Petit (a); sed infida ut plurimum hæc machinamenta. Hinc meritò anteponitur extremitas candens specilli leviolem crustam inducens, & hæmorrhagiam subito sistens; imò si illud medium non sufficiat, vel crustâ deciduâ iterum oriatur sanguinis effusio, quod quidem in grandioribus accidere potest, tunc ligaturam, licet anceps & difficile remedium, adhibendam censemus (b).

MULTO minus periculosa læsiones quæ instrumento secante versùs salivales ductus inferiores oriuntur, ut plurimum spontè sanantur; periculum tantum foret ne ortâ inflammatione dum occluditur vulnusculum, simul occludantur ductus salivales. Procul ergo illorum praxis quibus temeritas pro medicinâ est, qui nullum prorsus infantem ab hoc vitio immunem nasci cum imperitissimo vulgo statuunt, & imitantur obstetricum temeritatem; quæ passim (hæc sunt Fabricii ab Aquapendente verba) (c) » in quocunque infante nascente ungue quem paratum » & acutum ad id perpetuò gestant, incidunt sub eorum linguâ » ligamentum, quod opus nisi præstarent, posse loqui infantem » nequaquam credere possunt.... Sed quod longè majoris momenti est, videlicet propter eam unguum chirurgiam, inflammatione obortâ, sæpè numero infantes papillam apprehendere » nequeunt, neque lac sugere, propter quam causam sæpè numero emoriuntur... Vos igitur moneo ut præcipiatis ne obstetres filios, prolemque vestram, aut aliorum attingant. « Convulsiones ab eadem causâ, inflammatio, ulcuscula, imò mors oriuntur; nihil contrâ mali pertimescendum à sectione ritè celebratâ.

INCOMMODI aliqui in sectione frænuli præstare videtur maxima infantium mobilitas, quâ fieri potest ut instrumenti apex vasa sanguifera attingat, quod tamen attentus quilibet semper vitabit. Ut verò tutius & sine periculo illud fiat, quidam linguæ submitunt ferramentum in extremâ parte incisum, quo excipitur Frænulum; deinde scalpellum ferramento affixum pressio

(a) Vid. Aët. Reg. Scient. Acad. ann. 1742. ibi leguntur observationes plurimæ, mediumque hæmorrhagiæ sistendæ ex authoris mente explanatur.

(b) Comment. reg. chirurg. Acad. tom. 2. *Mémoire sur un nouveau moyen d'arrêter le sang.*

(c) Vid. Fabricius loco laudat.

elaterē [movent; membranamque absque periculo incident (a).
 Lacerans & vitiosum hoc machinamentum demonstravit. Clar.
 Petit, & ad operationem peragendam proposuit instrumentum
 cui inest forfex partim mobilis, partim immobilis, tutius secans;
 ideòque ante ponendum (b).

CÆTERUM post operationem inutiles sunt fetus aut digiti præ-
 sentia; prioribus enim supplet saliva, & ne iterum coalescat lin-
 gua, sufficit ipsius mobilitas.

(a) Vid. Platneri inst. chirurg. de
 resolutione linguæ,

(b) Vid. act. reg. scient. Academ.
 1790 supra citato.

